



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Dabidu prophētoi kai basileōs melos ...**

**Dolscius, Paul**

**Basileae, 1555**

**VD16 B 3122**

De Fructu Et Utilitate Lectionis Psalmorum, Elegia Eobani Hessi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69725](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69725)

## DE FRVCTV ET VTLITATE LES

## ctionis Psalmorum, Elegia

EOBANI HESSI.

**Q**uisquis habes uarijs obnoxia pectora curis,  
 Acceptoq; aliquam uulnere quæris opem:  
 Nec potes humana, quæcunq; sit, arte iuuari,  
 Hæret, & est soli spes tua fixa Deo:  
 Inspice Psalmographi diuina poemata uatis,  
 Inuenies quæ te cura leuare queat.  
 Siue tuis nocuit grassator finibus hostis,  
 Non alia melius pellitur hostis ope.  
 Seu res est peculata tuas manus improba furum,  
 Inde, quod ablatum reddere possit, erit.  
 Exactum patria premit inuidiosa tyrannis,  
 Hinc tua soleris tristia fata licet.  
 Insidias posuere tui tibi, & undiq; captant:  
 Cum Dauide Deum consule, tutus eris.  
 Pignoribus uiduata domus tua luget ademptis,  
 Auxilium luctus non aliunde feres.  
 Pauperie premeris, domus esurit, urget egestas:  
 Hunc pete, ab hoc diues copia fonte fluet.  
 Iam tua carnifices populantur corpora morbi,  
 Hinc ueniet morbis certa medela tuis.  
 Pressus es inuidia, uulgo contemptus haberis,  
 Huius ab exemplo tu quoq; fortis eris.  
 Pulsus es è summis, deiectus ad infima luges,

y 3

Hunc

Hanc sequere, euades infera, summa feres.  
Asiduis culti sterile scunt solibus agri,  
Hinc pete fructifero qui riget imbre solum.  
Imbribus asiduis sunt obruta semina terræ,  
Hinc pete qui iustis solibus arua iuuet.  
Ab miseros qui signa notant, & sidera spectant,  
Et spes inde hominum, uanaq; uota trahunt.  
Deniq; quicquid erit, quæcunq; incommoda rebus  
Humanis aliqua clade nocere queant.  
Omnia Psalmographi diuina poemata uatis  
Spe certa & forti pectore ferre docent.  
Et non ferre modò, uerum quoq; pellerè, si quis  
Pectore, quo cecinit qui dedit ista, canat.  
Nec modò fortunæ, dubijs' ue medebere rebus,  
Manat ab hoc animæ maxima fonte salus.  
Tam non ulla malæ mens est sibi conscia culpæ,  
Quæ non inde habeat quo sua damna leuet.  
Tam nullum miseros grauat intolerabile sensus,  
Quod non hic aliqua parte leuetur, onus.  
I nunc fatidicis humana uolumina scriptis  
Confer, & istorum quodlibet inde pete.  
Tam malè fallêris, quàm qui sub imagine somnù  
Inuenit, & falsa continet æra manu.  
I nunc humanas morbis medeare per artes,  
Quodq; Deo debes quære aliunde bonum.  
Ne faceres melici monuit sapientia Psaltæ,  
Qui sacrum lyrico pectine pulsat ebur.

ERRA;